



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quæ sit ratio causandi formæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Duplex a-
ctionis ter-
minus.

& ut quo, seu qui absolute fit, vel quo aliud fit: Compositum ergo est terminus qui, seu ut quod: quia illud per se primo fit, nam illud maxime intenditur per generationem, & in id ultimatè terminatur generatio: & à simili patet in artificialibus, nam domus est, quæ per se primo edificatur, &c. Terminus autem quo, est forma, quia fit, ut per eam compositum cõstituatur. Vnde, quia verbum educi proprie tantum indicat habitudinem ad hunc terminum quo, ideo proprie ac simpliciter dicitur forma educi de potentia materiæ, non autem compositum: verbum autem generari aut fieri, dicit habitudinem principalem ad id, quod est, vel quod fit: & ideo simpliciter dicitur de forma, & non de materia.

V.

Ad argumentum in contrarium respondetur, negando sequelam, quia loquendo de ordine temporis, non prius fit forma, quam compositum, neque e converso. Loquendo autem de ordine naturæ, compositum non solum prius fit, sed etiam absolute illud solum fit per hanc actionem: forma vero solum consistit. Et quamvis demus, in aliquo genere causæ formam prius natura educi, quasi ordine executionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per se primo intenditur donec sit totum compositum. Nec refert, quod aliqua pars compositi supponatur, & non formæ: oportet enim quatuor genera actionum distinguere: quædam enim est actio productiva tantum, & non vnitiva, & hæc semper terminatur ad rem simplicem: & ideo ex se terminari potest ad entitatem partialem, si nata sit hoc modo produci, & talis est creatio animæ rationalis, atq; idem est de creatione materiæ primæ, ut opinor. Alia est actio vnitiva tantum, & non productiva componentium, ut est generatio hominis, & hæc sine controuersia terminatur tantum ad compositum ut quod, & ad vniõnem ut quo. Rursus, est alia actio ita productiva alicuius compositi, ut simul fit vnitiva & comproductiva omnium componentium: & huiusmodi est creatio cœli, quam constat per se primo terminari ad compositum, concomitanter vero ad materiam & formam. Alia deniq; est actio simul vnitiva, & comproductiva alterius partis componentis ex præsuppositione alterius, & huiusmodi est actioeductiva, de qua nunc agimus, & ideo non est de eius ratione, ut ipsius adæquatius terminus ita fiat de nouo, ut nulla eius pars præsupponatur esse.

VI.

Atq; hinc obiter colligitur, hanc sententiam non solum in substantialibus formis, sed etiam in accidentalibus veram esse, etiam si Scotus supra, Anton. Andr. & alii oppositum significent, eo quod ex accidente, & subiecto fiat vnum per accedens, quod non videtur posse fieri per actionem, & causalitatem per se. Sed sententia proposita vera est, nam Aristot. vniuersaliter loquitur: & maxime adhibet exempla in accidentibus. Ac tandem in tex. 32. expresse & in particulari hoc docet de formis accidentalibus. Nam (ut ibidem ait) ratio eadem est, quia multo magis accidentia non per se fiunt, sed ut vnita subiectis, & ex illis. Nec refert, quod sint entia per accidens, nã realem, & veram, ac Phycam compositionem habent, quam per se includit illa actio, & ideo per illam fit per se primo compositum accidentale: nam & actio ipsa accidentalis est.

SECTIO V.

Quæ sit propria ratio formæ substantialis, propriæque causalitas eius in suo genere.

I.
Descriptio
formæ in
genere.



Ex dictis de existentia formæ substantialis, & de modo quo fit, facile intelligi potest, quid ipsa sit, & quem modum causandi habeat: vtrumq; autem hac breui descriptione comprehen-

dere possumus. Forma est substantia quædam simplex & incompleta, quæ ut actus materiæ cū ea constituit essentiam substantiæ compositæ. In qua descriptione substantia ponitur loco generis eo modo, quo à Philosopho distinguitur in materiam, formam, & compositum. Et per eam particulam distinguitur hæc forma ab accidentalibus, quæ substantiæ non sunt, distingui etiam potest à modis substantialibus: nam licet hi ad prædicamentum substantiæ reuocentur, non tamen sunt substantiæ in ea proprietate: unde neq; ab Arist. in ea partitione enumerantur, quia non sunt proprie entitates substantiales, ut est forma, quæ hac ratione substantia dicitur. Additur vero simplex & incompleta, ut per priorem particulam à composita substantia separaretur: per posteriorem vero à substantiis separatis, quæ interdum vocari solent formæ assistentes, ut illæ, quæ mouent corpora celestia, quæ re vera non exercent munus causæ formalis, sed efficientiam aliquam: quare non sunt formæ substantiales, prout nunc de illis loquimur.

Reliqua pars definitionis distinguit formam à materia, quæ etiam est substantia simplex, & incompleta, tamē ut potentia: forma vero ut primarius actus illius potentie. Et ideo Aristot. 2. de anima definit, animam esse Actum corporis Phyci, &c. Quæ definitio potest facile ad formam in communi accommodari, si nomine actus substantialem actum intelligamus, ut intelligi debet, & solum dicamus formam esse actum corporis Phyci, reliquam partem auferendo, quæ animam fecerit à formis inanimatarum. Possumus autem per corpus Phycum intelligere, vel materiam ipsam, quatenus est altera pars compositi naturalis, quæ ut forma informetur, semper supponitur, ordine naturæ in suo genere causæ, quantitate, & aliquibus proximis dispositionibus affecta: & ea ratione corpus Phycum appellari potest. Vel etiam possumus per corpus Phycum ens ipsum naturale intelligere, quod ex materia & forma constat: cuius actus dicitur forma, tanquam cõstitutens illud: quomodo etiam Aristot. definit esse Actum viuens, seu quo viuimus. Veramque igitur habitudinem in dicta parte nostræ descriptionis explicuimus: nam forma substantialis, ita est substantia incompleta, ut sit actus materiæ: actus (inquam) vel actu informans, vel natura sua institutus ad informandam materiam, nam verba (ut aiunt) in definitionibus dicunt aptitudinē & ita comprehenditur anima rationalis, etiam si corpore separata sit. Et hinc consequenter habet, ut cum materia componat essentiam entis naturalis, quod est substantia composita: & ideo Arist. a. Phyl. ca. 3. ait, formam esse essentia seu quidditatis rationem, id est, quæ compositi naturalis essentiam complet, & ab aliis essentialiter ac quidditative eam distinguit. Atq; hinc explicata etiam est causalitas formæ: nã quia forma essentialiter est actus, ideo includit intrinsecè habitudinem transcendentalem ad id cuius est actus, & ad actuationem, quam in illud exercet: ideoq; vix potest ratio formæ, nisi per habitudinem ad eius causalitatem, declarari. In qua possumus quatuor illa considerare, quæ in omni causa spectamus, scilicet formale principium causandi, conditionem necessariam ad causandum, causationem ipsam, & effectum qui causatur, quæ omnia sigillatim explicanda sunt, sicut in materia fecimus, licet suppositis quæ ibi diximus, breuius hic expediri possint.

SECTIO VI.

Quæ sit ratio causandi formam



Ria sub hoc titulo complecti possumus, scilicet principium causandi, quod fit veluti actus primus, conditiones necessarias ad sic causandum, & causalitatem illam in actu secundo.

Quoad

Quoad primum dicendum est, principium causandi non esse aliud, quam entitatem, & naturam ipsius formæ, quæ per seipsam, & entitatem suam causat, exhibendo (vt ita dicam) sese totam materiæ, seu composito. Ad quod non indiget alia facultate vel potentia distincta à seipsa, sed per seipsam est essentialiter apta ad hanc causalitatem exercendam. Unde, sicut supra dicebamus in materia non distingui principale & proximum principium causandi, quia potentia receptiva per quam causat, non est proprietas eius, sed ipsam essentialem, ita in forma considerari potest, quasi potentia quædam, vel aptitudo ad causandum formaliter, quæ manet, vt ibi gratia, in anima separata, etiam si actu non informet: & illa aptitudo est proximum principium causandi formaliter. Non est tamen distinctum à principali, quia illa aptitudo non est proprietas superaddita entitati formæ, sed est essentialis ratio, & specificatio eius: nam forma essentialiter est actus actuans, de essentia autem huiusmodi actus est aptitudo ad actuandum. Item, quia ex materia & forma ideo fit per se vnum quia non interuenit alicuius proprietatis, vel accidentis vniuntur, sed immediate per seipsas, propter proportionem & mutuam aptitudinem, quam ad se habent per suasmet entitates incompletas, ad idem genus pertinentes, vt sumitur ex Aristotele 8. Metaphys. capite 6. & 2. de anima, capite 1. vbi id adnotat Commentator commento 7. & alii Scriptores 8. Metaphys. Diuus Thomas 2. contra Gentes, capite 70. & 1. part. quæstio. 76. artic. 7. & alij Theologi in 2. distinct. 12. præsertim Scotus quæstione 1. & Durand. quæst. 2. ergo sicut in materia non est fingenda potentia distincta, quæ mediet inter ipsam & formam, ita neque in forma cogitanda est aptitudo, quæ sit aliquid distinctum ab ipsa forma. Dices, quomodo potest forma, quæ tantum distat in sua natura à materia, illi per seipsam immediate vniri, quod maxime videri potest difficile in anima rationali, quæ spiritualis est. Respondeo in primis, non essetantam distantiam, quin in eodem genere conueniant. Deinde, distantiam nihil obstat, si sit debita proportio: vt enim dixit Plato in Timæo, mutua proportio est, quasi vinculum inter res, quæ proximè ac per se vniuntur: proportio autem hæc consistit in ratione actus, & potentia, & in naturali & essentiali aptitudine, & mutua habitudine, quam inter se habent.

Conditiones necessariae vt forma causet.

Quoad secundum de conditionibus necessariis ad hanc causalitatem exercendam, tres videntur posse conditiones assignari. Prima est actualis existentia ipsius formæ, de qua diuersimode sentiendum est, iuxta diuersas sententias de existentia creaturæ, & distinctione eius ab essentia. Quamquam in nulla opinione videatur existentia proprie dici conditio necessaria ad causalitatem formæ: nam si existentia est res distincta ab essentia, non potest dici conditio formæ ad causandum, sed potius effectus, vel in genere causæ formalis, prout dicitur forma dare esse: vel in genere causæ efficientis, prout dicunt aliqui, existentiam manare ab essentia, vel, vt alij volunt, in genere causæ materialis, quatenus forma complet essentiam, quæ est proximum receptaculum existentia. At vero, si existentia in re non distinguitur ab essentia actuali, existentia formæ, non potest proprie dici conditio necessaria ad causandum: conditio enim requiritur, si proprie loquamur, distinguitur ab ipsa ratione causandi: existentia autem non potest sic distingui iuxta illam opinionem, quia forma causat per suam entitatem actualem, quia non potest intelligi actu causare, nisi vt habens entitatem suam actualem, & extra causas: ergo vt habens existentiam. Atque hæc opinio

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

magis probanda est, quia sicut actualitas formæ, non est conditio distincta à ratione causandi, seu actuandi, ita neque existentia, quæ intinse includitur in ipsa actualitate. An vero necesse sit, existentiam formæ esse præuiam ad causalitatem eius, dicendum est, non esse necessarium, vt sit præuia ordine durationis, quia talis antecessio est impertinens, imo naturaliter non est possibilis, quia formæ non debetur esse, donec illam postulet subiectum proxime aptum, quo posito, forma simul ac est, naturaliter illud informat. Rursus, neque necesse est existentiam formæ, ita esse præuiam ordine naturæ, vt intelligatur aliquod signum vel momentum in quo existat, & non informet, quia neque hoc est necessarium ad prioritatem naturæ, neque in formis, quæ à materia pendent, intelligi potest, vt ex dictis sectione præcedente constat. Antecessio autem naturæ, secundum aliquod genus causalitatis interuenire potest, & necessaria est, nam causalitas formæ ab eius entitate & existentia pender: unde necesse est, vt inter existentiam & causalitatem formæ sit ordo naturæ, ex quo sumitur prioritas (vt aiunt) à quo, non in quo. De quibus prioritatibus plura in sequentibus.

Altera conditio necessaria assignari potest præsentia seu intima propinquitas entitatis formæ cum entitate materiæ, quæ conditio est verissime assignata, adeoque necessaria, vt sine illa, etiam de potentia Dei absoluta, non possit forma suum effectum formalem præstare. Quis enim intelligat formam substantialem loco distantem à corpore componere substantiam per se vnam? Hæc ergo compositio per intimam vniorem fit, quæ non est quidem localis præsentia, sed aliquid distinctum ab illa: necessario tamen illam requirit. Quod ex dictis supra in simili de materia, declarari amplius ac persuaderi potest, nam quoad hoc eadem est ratio de forma.

Tertia conditio assignari potest, dispositio accommodata ex parte materiæ, quam necessario forma requirit, vt suum effectum formalem conferre possit. Quam dispositionem aliqui existimant, adeo esse necessariam, vt etiam per potentiam absolutam non possit forma informare materiam omni carentem dispositione, præsertim quantitate. Ita Henric. quodlib. 7. quæstio. 17. Veruntamen quidquid sit, an ex parte materiæ, vel quantitatis repugnet illam ab hac separari, quod tractare non possumus vique ad disputationem de quantitate, nihilominus si semel supponatur, materiam posse conseruari à Deo sine quantitate, quod verius existimamus, non repugnabit conseruari etiam à Deo, talem materiam in eo statu informatam substantialem forma, quia nulla est tam essentialis connexio inter formam, vt exercentem suum intrinsecum effectum formalem, & hæc accidentia, vt non possit à Deo sine illis conseruari. Non intercedit igitur tam absoluta necessitas quod vero hæc conditio modo naturali & physico necessaria sit, experientia ipsa docet. Hinc enim prouenit naturalis rei corruptio, per quam forma à materia separatur, quæ incipit per abiectionem seu corruptionem dispositionum: ergo signum est esse huiusmodi dispositiones saltem conditiones necessarias ex natura rei, vt forma informet materiam. An vero sint conditiones præuiæ, vel consequentes formam ordine naturæ, petendum est ex dictis disputatione præcedenti.

Causalitas formæ explicatur.

Quoad tertium de causalitate actuali ipsius formæ, quidnam sit, non est facile ad explicandum, tamen ex his, quæ dicta sunt de materia, procedere proportionatè possumus ad id declarandum. Et in primis certum videtur, huiusmodi causalitatem aliquid esse in rerum natura distinctum ex na-

IV.

intima propinquitas formæ ad materiam.

V.

Dispositio materiam ad formam.

VI.

Et 2 tura

tura rei ab entitate formæ. Probatur, quia sicut agere, aliquid est in rerum natura, ita & informare, quia vere est, reater, ac physice causare. Rursus illud, quidquid est, est in re ipsa separabile à forma: nam in anima rationali de facto separatur, & in quali bet forma substantiali separari posset per potentiam Dei ab solutam, nam potest extra materiam conservari, sicut conservata est quantitas: est enim eadem vel maior ratio: ergo distinguitur ex natura rei ab illa.

VII.
Vnio forma ad materiam est forma causalitas.

Deinde, dicendum est hanc causalitatem nihil aliud esse posse, præter actualem unionem formæ ad materiam. Probatur primo à sufficienti enumeratione, quia neque est materia, neque forma, neque compositum: ergo est dicta unio, nam præter hæc nihil aliud excogitari potest: & antecedens quoad omnes partes est per se evidens. Nam de forma iam probatum est, & eadem ratio à fortiori probat de materia, compositum autem est ultimus effectus huius causalitatis, ut statim dicitur: non est ergo causatio ipsa. Item, compositum includit entitatem materię & formæ: causalitas autem formæ præcisè sumpta non potest hæc omnia includere. Præterea, posita unione, & præcisè quocumque alio, præter ea, quæ dicta sunt, forma necessario exercet suam causalitatem: positis autem omnibus aliis, & ablata unione, impossibile est formam exercere suam causalitatem: ergo signum est, in unione consistere talem causalitatem. Maior patet, quia si forma vnitur materię, necessario communicat illi seipsam per seipsam, id est, non efficiendo aliam similem, sed suammet perfectionem & entitatem illi communicando, & hoc modo illam auctuando. Et inde etiam necessario confurgit substantialis natura composita per se una, sed in hoc consistit tota causalitas formæ, totusque effectus eius, qui ablata unione, permanere non potest, ut per se notum est: ergo. Unde in hoc est notanda differentia inter unionem, quam diximus esse causalitatem formæ & actionem, quam postea dicimus esse causalitatem efficientis, quod actio ita est causalitas agentis, ut agens quatenus agens est, omnino maneat extra effectum, quia licet per actionem communicet se, non tamen seipsum per seipsum dando effectui, sed similem aliquam entitatem ei conferendo, unio vero ita est causalitas formæ, ut, ea mediante, seipsam præbeat vel materię vel composito: est enim causa intrinseca per seipsam causans. Quo sensu dici etiam posset, causalitatem formæ completi in se entitatem formæ, seu hanc causalitatem esse ipsam formam, non absolute sumptam, sed unitam. Sed in hoc loquendi modo confunditur causa cum causalitate, & ratio causandi quasi in actu primo, cum causatione, quæ est quasi actus secundus, & ideo formalis, & magis præcisè dicitur hæc causalitas, in ipsa unione consistere.

VIII.
Dubia.

Sed occurrit difficultas, nam hæc unio duplici modo contingit in diversis formis substantialibus. In quibusdam enim est pura unio, id est, sine inhaerentia vel dependentia formæ, ut in animabus rationalibus: in aliis vero est unio, quæ simul est dependentia, & quasi inhaerentia formæ in materia. Prior ergo unio non potest esse causalitas formalis rationalis animæ, quia est ab ea effectiue: causalitas autem effectiua longe diversa est à formali. Antecedens patet, quia hoc ipso, quod anima creatur à Deo in corpore disposito, statim ipsa quasi naturali impetu sese unit materię, efficiendo unionem: nam cum anima naturaliter sit propensa ad illam unionem, & habeat applicatum proprium subiectum perfectibile ab ipsa, non est cur non possit ipsa quasi naturali pondere sese corpori copulare, ut sentit Henricus quodlib. 11. q. 14. & Aureolus apud Capreol. in 4. distinct. 43. q. 2. & probabile existimat ibi Richardus artic. 3. q. 2. Posterior item unio non potest esse causalitas formalis respectu aliarum formarum, quia illa formæ per ipsam unionem causantur à materia, & ab ea pendet in

suo esse: ergo non possunt eadem formæ esse causa eiusdem unionis: ergo non potest unio esse causalitas huiusmodi formæ: causalitas enim est ab ea causa, cuius est causalitas, sicut actio est ab agente, & ideo supponit esse talis causæ. Nec potest intelligi, quod eadem res seu modus sit ratio, seu quasi via, ut causetur forma, & per quam causetur forma. Et confirmatur, nam supra disput. 12. sectione 1. dicebamus, formam non posse esse causam formalem generationis, quia per generationem fit, educitur de non esse ad esse, ergo eadem ratione non potest esse causa unionis, & consequenter neque unio potest esse causalitas eius. Patet consequentia, tum à patiente rationis, tum etiam, quia ipsa generatio videtur esse idem quod unio, cum dictum sit, has formas eadem actione fieri & uniri.

Ad priorem partem respondetur, sententiam Henrici, quæ ibi commemoratur, satis incretam esse, ut videlicet in Secoto in 4. distinct. 43. quæstio. 3. artic. 3. & Capreol. ibi. q. 2. art. 3. Nam fortasse unio animæ rationalis, & corporis sit, vel virtute seminis, & dispositionum ab ipso generante, vel si ab hoc tum sit dispositiue, nec effectiue à solo Deo, à quo anima creatur. Quod vero ab ipsamet anima fiat, nulla sufficienti ratione ostenditur, nam licet forma natura sua sit apta uniri, ideoque sit naturaliter propensa ad unionem, non inde sequitur esse potentem ad sese uniuendum: sunt enim hæc diuersæ aptitudines seu potestates, quarum una non necessario infertur ex altera: sicut etiam materia est apta uniri, & est in suo genere propensa ad unionem, & tamen non est potens se unire. Quemadmodum enim potentia receptiua, & appetitus in illa fundatus, est diuersæ rationis à potentia actiua, & propensione eius, ita potentia (ut sic dicam) seu aptitudo formalis, & propensio in illa fundata, est distinctæ rationis ab actiua, nec est ulla sufficiens ratio, cur ex illa inferatur, maxime cum in omnibus aliis formis probabilius videatur, unionem non esse effectiue à forma. Secundo, etiam si illa sententia admittatur, neganda est conclusio, nam etiam si unio ad corpus sufficienter dispositum effectiue manet ab anima rationali, nihilominus esse potest formale vinculum, quo anima coniungitur materię, ut actus potentie. Nihilque repugnat, quod eadem unio sit ab anima in duplici genere causæ, effectiue scilicet, & formalis, vel quod sit effectus animæ, ut efficiens, & quod sit ratio causandi formaliter totum compositum: nulla enim repugnantia in his diuersis habitudinibus inuoluitur.

Ad posteriorem partem, respondetur eandem unionem causari, & à forma, & materia, & ab efficiente, ab unoquoque in suo genere causæ, quia ab omnibus illis pendet: ideoque non repugnare ut eadem unio, quatenus est à forma, sit quasi via seu ratio qua mediante forma causatur totum compositum, & quatenus est materia, sit ratio, qua mediante forma materialis in suo esse à materia pendet. Est enim illa unio nexus utriusque, scilicet materię & formæ, & ideo quando talis est unio, ut etiam sit inhaerentia, simul esse potest, & via (ut ita dicam) materię ad formam, & formæ ad materiam. Nec refert, quod causalitas formæ debet esse à forma, & ideo supponere debet eam esse ordine naturæ, nam, ut supra attigimus, hæc prioritas non est in quo sed à quo: non repugnat autem quod eadem unio, & sit à forma ut informante materiam, & sit talis nexus formæ cum materia, ut illo mediante forma sustentetur à materia. Atque ita eademmet unio quatenus est à forma, est medium seu ratio, qua mediante forma actus materię, & compositum compositum, & hoc modo dicitur esse causalitas formæ: quatenus vero per illam forma materię adhæret, & sustentatur ab illa, est dependentia eiusdem formæ à materie. Est enim tam intrinseca connexio inter huiusmodi formam, & unionem.

nem, vt diuersis rationibus mutuo inter se pendant. Ad confirmationem respondetur vnionem, interdum accipi pro actione, quæ ad tollendam æquiuocationem solet dici vnio, interdum vero ac magis proprie sumi pro ipso modo vnionis vel inhærentiæ permanentis in facto esse inter materiam & formam, & aliquando sumi etiam pro relatione consequente, vt latius annotatur in 3. p. q. 2. art. 8. Cum ergo dicimus vnionem esse causalitatem formæ, non est sermo de relatione, vt per se notum est, nam hæc si sumatur, vt aliquid distinctum ab aliis, vel nihil est, vel quid posterius est. Neque etiam est sermo de actione, de qua procedit dicta confirmatio fatemur enim formam, præsertim illam, quæ educitur de potentia materiæ, non esse proprie causam formalem illius actionis, per quam educitur, vt citato loco ostendimus, quia est terminus eius, vnde illa actio aliquo modo actiue comparatur ad ipsam formam, & ideo non potest vere ac proprie causari ab ipsa forma. Loquimur ergo de modo vnionis, de quo est longe diuersa ratio, quia non comparatur actiue ad formam, sed est quasi formalis nexus inter ipsam & materiam, & ideo potest habere dependentiam ab utraque, vt declaratum est.

Hic vero occurrebat statim difficultas, cur hic modus vnionis magis attribuatur formæ quam materiæ. Sed huic satisfactum est disp. 13. sect. 6. Neque hic aliquid addendum occurrit.

SECTIO VII.

Quis sit effectus causa formalis.

Dvo tantum effectus sunt, qui formæ attribui possunt, scilicet, compositum & materia, nam de generatione vel vnitione iam dictum est, non posse proprie effectum eius. De vnione vero ipsa in facto esse constat ex dictis, non posse dici proprie effectum, nisi fortasse eo modo, quo actio dicitur effectus agentis, quatenus ab illo est, quauis proprius dicatur via ad effectum.

Explicatur prior effectus formæ.

II. Quod compositum ergo satis clarum est ex dictis, illud esse proprium ac primarium effectum formæ, nam ex illa intrinsece, & essentialiter consistit, & ab illa habet speciem, & (vt ita dicam) pulchritudinem suam: nam ipsa complet essentialē naturam & rationem eius, vt ex Aristotelis definitione supra tradita constat. Item materia est causa compositi, vt supra ostensum est: ergo multo magis formæ, quia magis confert ad esse compositi: ergo & e converso ipsum compositum est effectus formæ, nam in suo esse ab illa maxime pendet.

III. Sed obiciunt aliqui, nam si compositum est proprius & primarius effectus formæ: ergo propria causalitas formæ erit constituere compositum: hoc autem verum esse non potest, quia forma prius natura actuat materiam, quam compositum: nam cum essentialiter sit actus materiæ, prius respicit materiam, & per illam compositum: ergo compositum non est primarius effectus formæ, sed materia vt actuat, seu vt informat: ex quo effectui consequitur compositum vt posterior effectus. Respondeo his vocibus, non explicari duas causalitates, aut duos effectus formæ, sed vnum duntaxat sub diuersis habitudinibus. Vnica est enim vnio formæ ad materiam & illa posita, & præcisa omni alia re, vel modo reali, materia manet informata per formam, & compositum ex vtraque resultat: quamuis in ipsa forma possint diuersæ relationes considerari respectu materiæ vel compositi. Rursus materiam esse actuatam formā, non est effectus ex natura rei distinctus à composito: quia

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

per materiam vt informatam nō intelligimus solam materiam cum aliqua denominatione quali extrinseca, nam hic conceptus, vel nullus est, vel non est conceptus alicuius effectus realis, sed denominationis quam intellectus confingere potest ex concomitantia, vel habitudine ad formam vt præsentem sed per materiam informatam intelligimus materiam, vt intrinsece affectā formā: includit ergo materia vt informatā, & materiam ipsam, & formam, & vnionem. Sed compositum hæc tria includit, & nihil aliud: ergo hæc non sunt in re distincta, ergo non sunt duo effectus, sed vnus diuersimode à nobis conceptus & declaratus.

Et confirmatur ac explicatur à simili, nam in forma accidentali, non est aliud informare subiectum, & componere cum illo compositum accidentale, vt in albedine dealbare niuem, & constituere hoc album vt sic, idem sunt: ergo idem est proportionaliter in forma substantiali. Respondent esse disparē rationem, quia ex subiecto & albedine fit vnum per accidens, quod non est aliquid distinctum ab extremis simul sumptis & vnitis: ex materia autem & forma fit vnum per se, quod oportet esse aliquid præter illa tria, etiam simul sumpta, vt possit esse magis vnum. Sed hæc responsio falsam doctrinam supponit: impossibile est enim substantiam compositam in re aliquid includere, præter illa tria simul sumpta. Quod infra ostendam, disputando de essentia substantiæ materialis. Neque in eo consistere potest differentia inter ens per se, & per accidens: sed in hoc quod ipsamet vnio, & extrema vnionis omnia sunt eiusdem ordinis in ente per se vno, non vero in ente per accidens. Vnde etiam fit, vt in ente per se vno, vnio sit intimior, & orta ex maiori proportionē vnibilium inter se. Quod vero in hoc solum & non in alio sita sit differentia demonstrari potest, quia tā ens per se vnum, prout nunc de illo agimus, quam ens vnum per accidens, non est vnum vnitate simplicitatis, sed vnitate compositionis seu vnionis: ergo maior vnitas entis per se compositi consistit in nobiliiori vnione, & maiori proportionē vnibilium, & non in additione tertiæ entitatis intelligibilis, quæ si sit simplex & ipsa sola præcisè sumpta dicatur esse per se vna, non erit vna compositione, & ita non erit compositum illud, quod per formam constituitur. Si vero illud tertium sit vnum, intrinsece includens materiam & formam, & vnionem earum, nihil his adiungere oportet, vt illud sit per se vnum, imo inde potius minueretur hæc vnitas, nam plura aggregarentur in eo composito, sine vlla necessitate. Retinet ergo ratio facta vim suam, quod si in accidentali forma actuari subiectum, & constitui accidentale compositum, verbi gratia, album, idem sunt in re, etiam in substantiali forma actuari materiam, & compositum constitui, idem sunt. Neque vnitas per se hoc impedit, sed maiori ratione id postulat.

Ad rationem ergo in contrarium, concedenda est sequela, nimirum essentiam substantialem compositam, esse primarium effectum formæ in suo genere, & consequenter præcipuam causalitatem formæ esse constituere idem compositum, non vtcunque, nam hoc absolute dictum commune est materiæ, sed vt perficientis & complementis essentiam: materia enim inchoat illam, forma vero complet. Cum vero additur, formam prius natura acturare materiam, quam constituere compositum, negatur assumptum, quia illa non sunt duo, sed vnum in re, vnde non est inter ea causalitas, & consequenter nec ordo naturæ, sed ad summum, potest esse ordo rationis, secundum conceptus inadæquatos. Neque obstat, quod forma essentialiter sit actus materiæ, nam æque essentialiter est pars compositi, imo, si inter hæc facienda esset comparatio, essentialius est pars compositi quam actus materiæ, quia forma non est pro-

Ec 3

pter